

quoddam bonum. At qui consequens est absurdum. Ergo et antecedens.

199. Resp., Neg. mai.; conc. min. Neg. cons. Sane Sapientia, Bonitasque Dei non expostulant, ut Deus efficiat mundum omnium possibilium optimum, sive *absolute* optimum¹, sed tantum ut quemcumque mundum ex omnibus possibilibus efficere velit, ipsum efficiat *relative*, nempe *in genere suo* optimum, quatenus ei omnia largiri debet, per quae et omnem illam perfectionem, cuius natura eius capax est, assequatur, et ad ultimum eius finem, qui est manifestatio Bonitatis Dei, perfectum ordinem habeat. Illud autem omittendum non est, per absurdam esse rationem, qua Leibnitius propositionem *maiorem* sui argumenti probavit, quia bonum, et malum *privative* sibi opponuntur, ac proinde prorsus repugnat ullum bonum, prout est bonum, esse malum, aut ullum malum, prout est malum, esse bonum.

¹ Cf s. Bonav., loc. cit., q. II ad arg.

ANTHROPOLOGIA

INTRÒDVCTIO

1. Homo omnia, quae in reliquis naturis rerum adhuc observavimus, in se exquisitiori modo continet², atque ob suam facultatem intelligendi particeps est proprietatum, per quas substantiae intellectuales, sive Angeli caeteris rebus creatis excellunt³; quocirca ipse annulus est, quo natura visibilis cum invisibili copulatur, ut unica inde universitas rerum creatarum efficiatur⁴. Hinc tractatio de homine a *Cosmologia*, ut diximus⁴, segregatur, atque peculiarem Philosophiae partem, quae *Anthropologia* vocatur, sibi propriam habet. In hac tractatione primo explicabimus quidquid ad unionem animae, et corporis in homine spectat; deinde inquiremus 1° in quo essentia animae humanae consistat; 2° utrum, necne anima sit immaterialis; 3° quaenam sit origo animae; 4° utrum, dissoluto corpore, anima superstes sit, an cum corpore pereat.

CAPVT PRIMVM

Quaenam sit animae, et corporis unio in homine inquiritur

ART. I. *Substantialis animae, et corporis unio in homine adstruitur*

2. Communis vulgo hominum persuasio est hominem non esse solam animam, aut solum corpus, sed aliquid, quod ex anima, et corpore conflatur⁵; siquidem nemo, quantumvis plebeius, cadaver, aut animam a corpore separatam hominem appellat, latumque discrimen inter *cadaver, animam, et hominem* non a-

¹ Hinc homo μυκόκερας, parvus mundus, dictus est, quia, ut s. Thomas advertit, « omnes creature mundi quodammodo inveniuntur in eo »; I, q. XCI, a. 1 c.

² Cf s. Aug., *De Civ. Dei*, lib. IX, c. 13, n. 3.

³ Cf Nemes., *De natura hominis*, c. 1. — ⁴ Pag. 86.

⁵ De Dicearcho, aliquis paucis antiquis, et recentibus Materialistis, qui in homine corpus tantum admirerunt, alias disseremus.

gnoscit. Verum, quoniam unitas, ut in *Ontologia* vidimus¹, est vel substantialis, vel accidentalis, non convenit inter omnes Philosophos, utrum unitas hominis, sive, ut aiunt, *compositi humani* sit substantialis, an accidentalis. Et sane non pauci inter antiquos, recentesque vel aperte professi sunt animam *per accidens* cum corpore coniungi, vel hominem ita definire, ut nullam rationem corporis haberent. Nos primum substantialem, seu naturalem unionem animae cum corpore in homine adstruemus, deinde quaedam contra oppositas sententias adnotabimus.

3. S. Thomas de unione animae cum corpore disserens, ait: « Ex anima, et corpore constituitur in unoquoque nostrum duplex unitas naturae, et personae² ». Veritas huius theoriae, quae in tota media aetate viguit, et iam a ss. Patribus, aliquique antiquis Scriptoribus³, post Aristotelem, tradita fuerat, sequentibus propositionibus a nobis demonstratur:

4. Prop. 1^o. *Corpus, atque anima in homine adeo inter se conjuguntur, ut ex ipsis una natura, seu una substantia completa constituantur.*

Probatur. Ea, quae sunt diversae naturae, unam, eamdemque actionem exercere non possunt. Atqui anima, et corpus, quae in seorsum consideratae sunt diversae res, habent in homine operationes utriusque communes. Ergo corpus, et anima in homine adeo inter se conjuguntur, ut ex ipsis, velut ex duabus substantiis incompletis, una substantia completa, sive una natura constituantur⁴. *Minor probatur praecipue ex sensationibus*, quae non sunt solius animae, aut solius corporis, sed utriusque. Re quidem vera sensations non sunt solius corporis, quia cum ipsa sit operatio immaterialis, a solo principio materiali, cuiusmodi est corpus, proficiisci nequit⁵; id quod experientia comprobatur, quia corpus, postquam anima ab eo seiuncta est, nihil sentire experimur. Neque sunt solius animae, quippe quod, cum

¹ Cap. III, art. 1, p. 19.

² III, q. II, a. 1 ad 2.

³ Cf prae caeteris s. Iustinum (*Fragm. libri De resurr. carnis*, n. 8), Athenagoram (*De resurr.*, c. 12, 13, 18, et 21), s. Irenaeum (*Contr. Haeres.* lib. II, c. 13), Tertullianum (*Adv. Marcion.*, lib. XV, c. 37), et s. Aug., (*De Civ. Dei*, lib. XIX, c. 3; *Epist. III ad Nebrid.*, n. 4, et alibi).

⁴ *Contr. Gent.*, lib. II, c. 37.

⁵ Cf *Dynam.*, c. III, art. 4, p. 115-116, vol. I.

anima sit immaterialis, res materiales nihil in ipsam *per se*, sive *immediate* agere possunt⁶.

5. Itaque « neutrum (neque corpus, neque anima)⁷ » habet speciem completam, sed utrumque est pars unius naturae⁸. Quapropter homo nec corpus, nec anima est, sed aliquid tertium, quod ex utroque componitur⁹. Id ex ipsa notione *corporis animali* clare intelligitur; siquidem corpus animalium non est solum corpus, quia corpus *per se* est expers animae, seu vitae, nec sola anima, quia anima est naturaliter incorporea, sed aliquid tertium ex eo exurgens, nempe corpus, quod anima informat.

6. Prop. 2^o. *Ex anima, et corpore unica persona in homine efficitur.*

Probatur. Operationes in qualibet natura tribuuntur *supposito*, seu *personae*, secundum illud Scholae, quod in *Ontologia* statuimus, *Actiones sunt suppositorum*¹⁰. Atqui in unoquoque nostrum unum, idemque est illud, cui operationes animae, et corporis tribuuntur. Ergo ex anima, et corpore una persona in homine constituitur. Veritas *minoris* ex interna experientia constat. Et sane nos in nobis ipsis experimur, illud, quod in nobis intelligit, et vult, esse idem ac illud, quod sentit, nutritur, deambulat: unde unusquisque nostrum sicut dicit, *ego volo*, et *ego intelligo*, ita dicit quoque, *ego patior*, *ego deambulo*, aut aliud huiusmodi. Atqui illae operationes sunt solius animae; haec autem animae, et corporis, quod anima informat. Ergo unum, idemque esse in homine illud, cui operationes animae, et corporis tribuuntur, experientia interna constat.

7. Praeterea, haec personae unitas, quae ex anima, et corpore efficitur, ex iis, quae in praecedenti propositione statuimus, valde confirmatur. Re quidem vera, anima, et corpus sunt substantiae incompletae, quae unicam substantiam completam, seu compositum substantialie, quod dicitur homo, efficiunt. Atqui persona debet esse substantia completa, seu perfecta¹¹; substantiae

⁶ « Nihil corporeum potest imprimere in rem incorpoream »; I, q. LXXXIV, a. 6 c. Cf *Dynam.*, ibid., p. 113, et art. 6, p. 119, vol. I.

⁷ *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 35.

⁸ « Ex hac, inquit Tertullianus, duplicitis substantiae (animae et corporis) congregatione confectus est homo »; *De poenit.*, c. III.

⁹ Cap. VII, art. 3, p. 49. — ¹⁰ Cf *Ontol.*, loc. cit., p. 48.

PHILOS. CHRIST. Compend. II.

autem incompletæ in composito substantiali perficiuntur. Ergo ex anima, et corpore unica persona in homine efficitur¹.

ART. II. *Nonnulla adversus Philosophos, accidentalem animae, et corporis unionem asserentes, adnotantur*

8. Inter veteres Philosophos, qui unionem animae cum corpore veluti accidentalem habuere, praecipue memoratur Plato. Sane ipse dixit animam cum corpore, tamquam motorem cum mobili, coniungi, eoque tamquam herum servo, artificem instrumento, vel musicum lyra uti. Hinc hominem non esse aliud, nisi *animam*, sensit.

9. Ex multis argumentis, quibus s. Thomas hunc Platonis, eiusque sectatorum errorem confutavit, haec duo afferemus: 1° Corpus in homine speciem suam sumit ab anima, cum qua copulatur; ipsum enim ex eo, quod copulatur cum anima, a ceteris corporibus specie differt, atque *humanum* vocatur. Atqui, si anima ad corpus, tamquam motor ad mobile, se haberet, corpus ab anima speciem suam sumere non posset; propterea quod motor est extra mobile, illud autem, a quo res speciem suam sumit, essentiam rei constitui, tac proinde intrinsecus rei inesse debet. Ergo anima ad corpus, tamquam motor ad mobile, sese habere nequit.

2° Mobile non ita a motore pendet, ut per unionem cum ipso incipiat esse, et per separationem ab ipso esse desinat. Atqui corpus humanum ex eo, quod cum anima coniungitur, esse incipit, et statim ac anima ab ipso separatur, desinit. Ergo rursus patet animam cum corpore in homine non ita se habere, sicut motor se habet ad mobile².

¹ « In puris hominibus ex unione animae, et corporis constituitur persona »; III, q. II, a. 5 ad 1.

² *Contr. Gent.*, lib. II, c. 57. Illud etiam adnotare praestat, quod ex eo, quod anima corpore, veluti instrumento, utitur, animam corpori, veluti motorem mobili, coniungi perperam infertur. Nam, quamvis corpus possit dici instrumentum animae, quia anima organis illius ad operationes vegetativas, et sensitivas exerendas utitur; tamen tenendum est corpus, ut s. Thomas advertit (III, q. II, a. 6 ad 4), non esse instrumentum, quod per accidens cum anima coniungitur, sed quod unam hypostasim cum anima efficit. Hoc quidem ab ipsa natura sensationum perspicitur. Nam principium sensationum non est sola anima, aut solum corpus, sed *coniunctum*, seu anima, et corpus. Atqui intelligi nequit animam, et corpus esse simul principium sensationum, nisi dicatur animam cum corpore ita

10. In philosophia recenti Cartesius essentiam animae in cogitatione, seu in complexione omnium actionum animae positam esse putavit; et quoniam homo ex eo est, quod cogitat, animam esse hominem deduxit³. Quod si anima est homo, ipsa non constituit cum corpore unam substantiam completam, sed est per se solam substantia completa; proindeque cum corpore secundum accidens, non vero secundum substantiam, coniungitur⁴.

11. Iam falsum esse pronuntiatum, cui haec Cartesii sententia innititur, nempe essentiam animae in cogitatione, seu in complexione omnium operationum eius cum intellectivarum, tum sensitivarum positam esse, alibi ostendemus. Hic dumtaxat istud breve afferimus argumentum: Homo dicendus est constitui non ex eo, quod est solius animae, sed ex eo, quod est simul animae, et corporis, si aliquas operationes exerat, quae non sunt solius animae, sed animae simul et corporis; non possent enim huiusmodi actiones communes esse animae, et corpori, nisi unio substantialis inter animam, et corpus existeret. Atqui reipsa aliquae operationes hominis non sunt solius animae, sed animae simul, et corporis, nempe operationes vegetativaes, et sensitivae⁵. Ergo homo non est, ut Cartesius voluit, sola anima, sed ex anima, et corpore substantialiter copulatis componitur⁶.

12. Philosophos, qui post Cartesium harmoniam inter cogitationes animae, et motus corporis iis systematis explicarunt, quibus unio substantialis animae, et corporis tollitur, hic omittimus; nam de his in sequenti Capite agendum nobis erit.

13. De Kantio etiam, qui *τὸν ego*, seu hominem ne in anima quidem, prout haec est subiectum cogitans, sed in sola conscientia suarum cognitionum posuit⁵, nihil dicimus; nam contra

coniungi, ut unicam substantiam constituant, alioquin unicum principium esse non possent. Corpus igitur non aliud instrumentum animae dici potest, quam quod ad unam, eamdemque hypostasim efficiendam cum ipsa concurrit.

¹ *Les principes de la phil.*, part. I, § 8, et 9.

² Hinc vides Cartesium, cum docuit unionem animae, et corporis esse substantialiem, verbo ipsam asseruisse, re autem negasse.

³ *Qq. disp.*, q. un., *De An.*, a. 2 c.

⁴ Accedit quod, observante sancto Damasceno, eorum, quae idem sunt, eadem est definitio; atqui definitio animae non convenit homini. Ergo anima non est homo. Vid. *Dialect.*, c. 10.

⁵ Hanc sententiam Kantii, quam breviter exposuit Franckius (*Diction.*)

istam opinionem eadem valent argumenta, quibus personam non posse definiri *naturam sui conscientiam* ostendimus¹; quippe quod *τὸ εγώ secundum Kantium*, aliosque nuperos re ipsa non aliud, nisi personam, denotat.

14. Denique Rosminius docuit *τὸ εγώ* non esse solam animam, ut Cartesius opinatus est, neque solam conscientiam, ut Kantius contendit, sed esse animam, prout conscientia sui ipsius est; nam « subiectum humanum tum evadit *εγώ*, cum per diversas operationes internas suarum facultatum conscientiam sui assequitur² ». At Rosminius duo confudit, quae valde diversa sunt, scilicet id, ex quo *τὸ εγώ* constituitur, atque id, quo *τὸ εγώ* cognoscitur. Certe nemo inficiatur *τὸ εγώ* non posse ad *actualem* sui cognitionem ante pervenire, quam super operationes suas reflectatur; at nemo etiam non videt *τὸ εγώ* non posse super operationes suas reflecti, nisi iam existat; proindeque ipsum revera existere, antequam conscientiam sui assequatur. Iam si *τὸ εγώ* existit, antequam conscientiam sui fiat, ipsum non potest definiri, quemadmodum a Rosmino definitum est, *subiectum, pro

ul* sui conscientium est.

CAPVT II.

Quomodo unio animae cum corpore efficiatur, inquiritur

ART. I. *Doctrina Aristotelico-Scholastica rationis momentis
propugnatur*

15. Si exploratum omnibus esse debet animam cum corpore ita coniungi, ut unicam completam substantiam cum eo constitutat, valde difficile intellectu est, observante s. Augustino³, quomodo illa unio substantialis efficiatur. Nihilominus Scholasti ci, Aristotelis, ipsiusque s. Augustini doctrinis adiuti, de modo, quo anima, et corpus unicum compositum substantialie effi-

des scienc. phil., art. Moi), Terentius Mamianus inter Italos sectatus est in suo opere, Il rinnovamento della filos. in Italia, part. II, c. 4, § 3, et c. 7, § 7, Firenze 1836.

¹ Cf *Ontol.*, ibid., art. 6, p. 50. — ² *Psicol.*, Defin. XIII, § 55.

³ « Modus, ait, quo corporibus adhaerent spiritus, et animalia fiunt, omnino mirus est, nec comprehendendi ab homine potest, et hoc ipse homo est »; *De Civ. Dei*, lib. XXI, c. 10.

cunt, theoriam concinnarunt, quae cuilibet solidae, et cuiusdam momenti difficultati aditum praecedit. Quae theoria hoc dedit, quod nempe, sicut quodlibet compositum naturale ex materia, et forma substantiali, ita compositum substantialie, quod homo dicitur, ex corpore, quod se habet sicut materia, et anima rationali, quae est eius forma substantialis, exurgit.

16. Rem ita se habere sequentibus propositionibus a nobis demonstratur:

Prop. 1^o. *In composito humano anima est forma substantialis corporis.*

Probatur. Anima, et corpus in homine ita uniuertur, ut unam substantialiam completam, unamque personam constituant. Atqui id non aliter fieri potest, quam si anima ad corpus, veluti forma substantialis ad materiam, se habeat. Ergo anima est forma substantialis corporis⁴.

17. *Minor* demonstratur hoc modo: Unio substantialis, qua efficitur, ut duae res in unam substantialiam ex duabus compositione coalescent, expostulat, ut una illarum sit principium, quo esse alterius determinatur, proindeque ut una illarum esse *actuale* non habeat in se, sed ab altera accipiat; nam si ambae proprium esse *actuale* haberent, illarum unio foret accidentalis, non vero substantialis. Atqui id, quod esse *actuale*, sive *actum* per se non habet, sed ab altero in se recipit, dicitur *materia*; atque illud, quod esse *actuale*, sive *actum* dat alteri, dicitur *forma*². Ergo non potest agnosci unitas naturalis, et personalis in homine, quam admittendam esse ostendimus, nisi talis coniunctio inter animam, et corpus agnoscatur, ut inter se veluti forma, et materia sint.

18. Animam autem, non autem corpus, esse formam patet¹ ex eo, quod corpus ab anima, et non anima a corpore speciem suam sumit³; ² ex eo, quod si corpus partem formae, non autem materiae in homine exploreret, ipsum foret principium, quo homo vivit; at hoc fieri nequit, quia corpori per se inspecto nec vivere, nec esse principium vivendi convenire potest, alioquin omne corpus oporteret esse vivens, vel principium vitae⁴.

¹ Hoc argumentum adducimus contra illos, qui unionem naturalem, et personalem animae, et corporis, saltem verbo, admittunt.

² Cf *Cosmol.*, c. I, art. 3, p. 97 sqq.

³ Qq. disp., q. un., *De Sp. cr.*, a. 2 c. — ⁴ I, q. LXXV, a. 1 c.